

Band II., Nr. 328, Seite 46-47

Papst Eugen III. nimmt das Kloster des hl. Martins in Wiblingen mit genannten Besitzungen in seinen unmittelbaren Schutz und bestätigt die demselben von seinem Vorgänger Papst Urban (II.) erteilten Begünstigungen.

Trier, 1148. Februar 6.

Eugenius episcopus, servus servorum dei. Dilectis filiis Stephano, abbati monasterii sancti Martini quod Wiblingin dicitur, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum beati Martini monasterium, a nobilibus viris Hartmanno comite et Ottone fratre eius constructum, atque beato Petro et sanctę sedi apostolicę oblatum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Predecessoris itaque nostri felicis memorię pape Urbani vestigiis inherentes statuimus, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis deo propicio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Gogelingen, Ticchingen, Veringen. Porro decimam, a venerabili fratre nostro Gebhardo, bonę memorię Constantiensi episcopo, in Chirchberg et a successoribus suis in Harthusen monasterio vestro cum dote concessam, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Advocatiam vero ipsius cenobii Eberhardus comes et senior heres eius amministret, qui si forte monasterio inutilis apparuerit, remoto eo alium quem utilem esse provideritis substituatis. Crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, si catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicę sedis habuerit, et ea gratis ac sine pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extreme voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen iusticia matricis ecclesię. Preterea mansuro in perpetuum decreto sancimus, ut

II

nulli omnino viventium liceat in vestro monasterio aliquas proprietatis condiciones, non hereditarii iuris, non investiture, nec cuiuslibet potestatis que libertati et quieti fratrum noceat, vindicare. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Ad indicium autem perceptę a Romana ecclesia libertatis bizantium aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolicę auctoritate et Constantiensis episcopi canonica reverentia. Cui tamen omnino non liceat exactionem aliquam vel consuetudinem que regularium quieti noceat, irrogare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrę constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesv Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax domini nostri Ihesv Christi, quatinus et hic fructum bonę actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(*Rundzeichen.*)¹ Ego Evgenius, catholicę ecclesię episcopus, subscripsi. (*Monogramm für Bene valet.*)

+ Ego Octavianus, diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano, subscripsi.

+ Ego Gregorius, diaconus cardinalis sancti Angeli, subscripsi.

+ Ego Iacintus, diaconus cardinalis sanctę Marie in Cosmydyn, subscripsi.

Datum apud Treuerim per manum Gvidonis, sanctę Romanę ecclesię diaconi cardinalis et cancellarii, VIII. idus Februarii, indictione XI., incarnationis dominicę anno MCXLVII.², pontificatus vero domni Eugenii III. papę anno III.

¹Mit *Sanctus Petrus Sanctus Paulus* und *Eugenius papa III.* und dem Denkspruch: *fac mecum domine signum in bonum.* Zwischen und links von den nachfolgenden Unterschriften der Kardinaldiakone ist Raum zu weiteren Unterschriften gelassen.

²Die Indiktion und das Pontifikatsjahr 3 des Papstes Eugen weisen auf das Jahr 1148. Die päpstliche Kanzlei datierte zu dieser Zeit nach dem *calculus Florentinus* mit dem Jahresanfang am 25. März nach der heutigen Zählung.

III

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Die noch vorhandene, aber abgerissene Bleibulle hat auf einer Seite die bekannten Köpfe nebst Kreuz und Überschrift, auf der anderen EVGENIVS $\overline{P\overline{P}}$. III.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 532 I U 4

Überlieferung und Textkritik:

Pergament und Papier Abschrift; in Kopialbüchern: HStA Stuttgart H 14 Nr. 298, Bl. 4 und H 14 Nr. 300, Bl. 3

Regesten:

PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 9182. Germania pontificia, Bd. 2,1, S. 215, Nr. 3.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Trier

Ortsindex:

Göggingen Wohnplatz (16631)

Göggingen, Ulm, UL

Harthausen Wohnplatz (16633)

Harthausen, Ulm, UL

Oberdischingen Wohnplatz (16898)

Oberdischingen, UL

Oberkirchberg Wohnplatz (16990)

Oberkirchberg, Illerkirchberg, UL

Trier, TR

Unterkirchberg Wohnplatz (16992)

Unterkirchberg, Illerkirchberg, UL

Vöhringen, NU

Wiblingen Wohnplatz (16651)

Wiblingen, Ulm, UL